



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africanam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. XVII. Malabarica regna, & aliae vicinae prouinciae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

Reliquum vulgus, vt latomi, fabri, & reliqui opifices eius generis, adeò nullo in pretio sunt, vt pro seruis mancipijsque ducantur, cuius iniuriæ vexationiq; obnoxij.

CAPVT XVII.

MALABARICA REGNA, ET
alia vicina Prouincia.

A Pud Malabares regna sunt varia, vt *Calecut, Cochin, Cananor, Tananor, Badara, Mortingùe, Coilan, & alia.*

Hos inter Reges potentissimus est *Calecut.* *Calecuti* Rex, qui ideo passim vocatur *Samorij*, id est, Imperator. Quo fit, vt & ceteri Reges, etsi sui iuris sint, plurimùm ipsi deferant ac reuereantur.

Hunc penè potentia sequitur Rex *Cochin.* *Cochinensis*, Regis *Calecutani* emulus, & bello sæpè hostis. Sed *Cochinensem* semper tuentur & iuuant *Lusitani* aduersus emulum potentio-rem.

Rex *Cananorensis*, præter terram *Cananor.* continentem, insuper possidet insulas triginta ex *Maldiu*s: vt tradit *Franciscus Pirardus* in suo Itinerario.

Tanor siue *Tananor*, maritimũ est *Tananor.* Prouinciæ *Malabaricæ* opidum (vnde & regnũ eiusdem nominis est appellatum) medio fe-

L rē spa-

rè spatio inter Goam & Commorini fines. Pingue solum, orizæ & palmarum ferax; sed incolæ, AEthiopum more, umbelico tenus, nudi ambulant. Rex ipse quamquam Ethnicus, Lusitanis tamen est peramicus, qui in opido Tananor templum habent, ei que præfectum sacerdotem vnum atque alterum è Soc. Iesu. Ij non modò Lusitanorum, sed & Indorum Christo aggregatorum curam gerunt: vt idem Pirardus tradit.

Ora Piscaria.

Parane.

In Promontorij Commorini flexu, ad Eoum latus, *ora piscaria* est, nomen à copioso illic gemmarum piscatu adeptæ. Huius oræ accolæ, gentis vocabulo, *Parane* nuncupantur: qui cùm Saraceni cuiusdam Dynastæ tyrannidem diutiùs ferre non possent, hortante Ioanne Crucio, viro nobili, & Equite ordinis Christi, Lusitanos aduocarunt, & suauè Christianæ legis iugo se subdederunt. Baptizati itaque mox è populo vniuerso ad viginti millia.

Ceterùm in excolendo longissimo illo Cómorini tractu, triginta amplius opidis vicisq; distincto, egregiè postea B. *Franciscus Xauerus*, *Antonius Criminalis*, *Henricus Henricus*, & alij è Soc. Iesu desudarunt. Xauerus quidem Tutucurini agens, Carechismi summam Malabaricè (quæ lingua regioni vernacula est) primus conuertendam curauit.

CA-